



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. De pœnis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

TITVLVS XVI.

De Poenis.

Quia iudicare munus publicum est. *l. quippe iudicare ff. de iudic. l. filius familias. ff. de iis, qui vel sui, vel alie ni iuris. vim habet cogentem l. aequissimum ff. de usufr. l. qui restituere. ff. de rei vendicat. Unde lege 12. tabularum quoque dicitur: Magistratus non obedientem, & nocuum civem multa, vinclis, verberibus, coercento, si par, maiore potestas prohibebit.* Cui nostri etiam iuris, sacri nimirum, & Canonici consonat auctoritas. *c. 1. de poenis* toties puniendum esse criminofum, quoties delictum iterat. Eam ob causam illis, quæ de processu iudiciorum tractavimus, hanc iustitiæ vindicativæ partem adicere placuit, ea deligendo, quæ potiora, & minus obvia sunt, ne actum agamus.

§. I.

De Poenis in genere.

Poenæ in iure non una notio est. Propriè dicitur *Noxia vindicta*, seu *Punitio*. & à *Mulcta* multum distat. *Pœna* enim generale nomen est, omnium delictorum coercitio, *mulcta* autem specialis peccati, cuius animus dversio hodie est pecuniaria; *Mulcta* item ex arbitrio punientis, pœna magis ex lege pendet: quin imò *mulcta* ibi dicitur, ubi specialis pœna non est imposta. *Alciatus in l. Aliud est fraus. ff. de verb. signif. Tholos. l. 31. c. 3. An-*

ton Peregrinus. l. 4. de iure Fisci. titul. 8. n. 7.

II. A criminum varietate pœnæ differentias sumunt. Nam primò alia est, apud Theologos præsertim, positiva, alia privativa. Per hanc tollitur bonum aliquod, seu perfectio communiter repugnans appetitu naturali: per illam infligitur cruciatus, vel dolor aliquis. *Secundò* alia est legalis, alia conventionalis; hæc à consensu partium, illa arbitrio legislatoris constituitur. *Tertio*, si pœna in se spectetur, triplex est, spiritualis, corporalis, & pecuniaria. *Spiritualis* 1. est increpatio. 2. Censura Ecclesiastica 3. Infamia. 4. depositio. *Corporalis* secundùm Canones 1. est ieiunium 2. verberum 3. servitus. 4. publicatio bonorum. 5. exilium. *Secundùm* leges alia est capitalis, alia minor capitali: item alia ordinaria, quæ à iure, alia extraordinaria, quæ ab arbitrio iudicis pendet. *Pecuniaria* aliquando imponitur pro iniuria illata personæ, vel loco aliquando pro sati factione illati damni, aliquando in vindictâ alicuius facinoris non iniuriosi. Denique secundùm causam efficientem, seu originem, alia pœna est à iure, vel Canonico, vel Civili constituta: alia ab homine. Alia item à consuetudine: alia mixta, quæ dicitur pœna contumaciæ punitiva. Quæ ab homine est, subdividitur in iudicalem, arbitrariam, & conventionalem. *Silvest. V. Pœna.*

Pœna. Iulius Clarus. quest. 67. Tholof. l. cit. c. 4. Vallensis l. 4. tit. 37. Practica Ferrar. pag. 530. Tuschus. concl. 220.

III. Pœnarum genera quædam iure civili prohibita sunt. Tria Cuiacius numerat. l. 14. c. 34. Primum est inedia necari: qua de causa tyranni illis, quos ab legabant in specus, aut solitaria loca, aliquid apponere cibi solebant. Alterum carcere perpetuo contineri pro pœna. Tertium pœnæ loco tormentis subiici. l. pen. ff. de quaestio. quod pœnæ genus tyrannicum, & incivile. Tertull. in Apologetico appellat.

Apud Romanos olim, quibus grata fuit lenitas, teste Patritio l. 3. de institut. Reip. & Isidoro l. 5. Orig. c. 27. octo pœnarum genera erant. Damnum, exilium, vincula, verbera, talio, ignominia, servitus, & mors. Innoc. in c. Qualiter, & quando. Felinus ib. n. 23. de accusat. Contzen l. 5. Polit. c. 10. Adhuc iuxta leges, & ius civile septem genera in usu sunt: tria capitalia, & quatuor non capitalia, de quibus in l. capitalium ff. de pœnis. Inter capitales 1. est mors. 2. metalli. 3. deportatio. Non capitalis 1. relegatio. 2. infamia. 3. dignitatis amissio. 4. verbera. Tuschus. V. Capitalis causa. conclus. 43.

IV. Damnum, alio nomine dicebatur *Mulcta*, ea que in ovibus, & bobus æstimandis consistebat, quod illis abundaret Italia, Gell. l. 11. c. 1. Suprema mulcta censebatur duarum ovium, & 30. bouum, pro copia scilicet bouum, & penuria ovium Exilii nomine non utebatur iudex, sed aqua, & igne interdicebat, ad quod sequebatur exulatio. Exules autem civitatis iure nu-

dabantur. Vinculorum nomine significatur compedes, pedicæ, manicæ, catena, nervi, boia, & carcer. Verbera iniuncta sunt virgis, & fustibus. Verberatio extremum mortis supplicium antecedebat. *Fustigatio* in castris usitata fuit. *Talio* est similitudo vindictæ, ut taliter quis puniatur, ut fecit. Oculum pro oculo, dentem pro dente. *Ignominia* fuit infamia. Infamia autem ius munerum, honorumque civilium adimit. Servitute libertas tollitur, mortis supplicio vita. Sigon. l. 2. de iudic. c. 3. Corvinus in Aphorism. l. 4. tit. 41.

V. Canoniarum pœnarum similiter 8. genera sunt.

1. Mulcta. 2. excommunicatio. 3. suspensio. 4. Depositio. 5. intrusio. 6. incarcerationio. 7. Interdictum. 8. Degradatio. c. Ad falsariorum. ff. de falsis. c. Si Episcopus dist. 59. c. Si quis viduam ibidem. Gloss. in c. Ad imprimendam. de off. Ordinit. de excommunicatione. His incassum annumerat Decianus prohibitionem matrimonii, servitium Curie, irregularitatem, & venditionem concubinarum. Vel enim pœnæ non sunt, ut Matrimonii prohibitio, & irregularitas: vel ab Ecclesia hoc saltem tempore non agnoscuntur, & adhibentur. Quis enim concubinam, vel suam, vel alterius unquam vendit, vel ut faceret, à iudice damnatus est? Annumerari verò potest ex mente Zypai l. 1. de iurisf. Eccles. cap. 7. flagellatio, seu verberatio moderata. c. Circumcelliones 23. quaestione 3. & levis aliqua tortura, per quam non incurri irregularitatem patet

ex c. Is qui de sent. excomm. in 6. Adde ignominiam, & infamiam. Roder. tom. IV. c. 10. Lopez in Pract. c. 125. & seq. Diaz, c. 133. & seq. Piassec. part. 2. c. 4. Zerola, V. Poena.

v. r. Impunitatem, & permissionem scelerum quod attinet, ius Canonicum, & Civile differunt multis modis.

Primo, ius Canonicum permittit aliquando minus peccatum, ut evitetur maius. Exempla prodit Decianus l. 2. c. 19. quæ cum sole & sale legenda sunt. 1. ait, permittitur adulterium, ut evitetur homicidium. Vbi, rogo? in c. si quod verius 33. q. 2. ubi d. Aug. l. 2. de adulter. coniug. c. 15. consulere videtur homini habenti uxorem adulteram, potius aliam ducere, adeoque adulterari quam occidere primam uxorem. Ex quibus verbis alii alium sensum eruunt: cum ultima citati capituli verba nec permissionem adulterii, nec suasionem contineant. *Si est utrumque nefarium, non debet alterum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare.* Quomodo permittitur unum, ex duobus, si utrumque vitandum est? illud tamen apud Theologos receptum constat homini ad maius flagitium parato, & simpliciter determinato minus consuli posse. DD. V. apud Barbof. in c. Duo mala. dist. 13. & c. Si quod verius 33. q. 2. 2. ait Decianus, in c. Veniens. Qui clerici vel voventes, permittitur potius inobedientia voti, quam fornicatio. Verum hic manifestus error est, quia mulieri, de qua agitur, votum castitatis edenti post fidem sponso datam non permittitur, ut violenter votum castitatis, sed propter periculum incontinentiæ dispensatur, sitque alteri nubendi potestas. V. Barb. ibi. 3. in c. Hi qui 26. q. 2. (ait Decianus) tolerantur sortes sumptæ ex Evangelio potius, quam in-

vocatio dæmonum Verba Augustini citat. hæc sunt. *Qui de paginis Evangelii sortes legunt, etsi optandum est ut id potius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo.* Si displicet, non approbat, sed ad summum tolerat maioris mali vitandi causa, ut Gloss. ibidem interpretati. 4. in c. Considera 22. q. 1. toleratur iuramentum potius, quam idololatria. Item c. Denique dist. 4. permittitur esus carniæ, & crapula, ne peiores efficiantur. Pro his eadem responsio servit, quam supra dedimus, esse comparisonem permissivam. Si impedire vel corrigere non possumus, toleranda, non approbanda esse. Denique notandum diligenter est, Ecclesiam nulla lege, aut canone in eum finem edito eiusmodi peccata permittere. ius civile autem etiam legibus propositis, concubinas, lupanaria, occisionem adulteri, & adulteræ coniugis permittit. ff. & C. de concubinis. V. quæ diximus in Proleg. § 17. Ac proinde non bene assignantur differentiæ inter ius Canon. & Civile per eiusmodi permissionem.

Secunda differentia dicitur esse à Deciano, quod iure Canonico non liceat Clerico occidere aliquem pro defensione rerum suarum: licere autem iure civili. c. perfoediens de homic. & c. Suscepimus. eod. Verum cita. c. Perfoediens de Clericis nihil constituit, sed absolute permittit furem nocturnum occidi. in c. Suscepimus agitur quidem de Clericis, sed Doctores magno numero à Barb. citati non fieri irregularem clericum docent, si pro necessaria rerum suarum defensione in vaforem occiderit. Qui verò in prædicto cap. puniuntur, modum in defensione sua non servarunt.

Tertia

Tertia differentia. Quamvis duella iure civili permittantur ex causa, & cum licentia Superioris. Bald. in l. Ex hoc iure. ff. de iust. & iure. Decius Consil. 487. iure Canonico tamen omnino prohibentur. c. 1. & 2. de cler. pugnantis. in duello. c. ult. de purgati. vulgari. c. Monomachiam 2. q. 3. adeo, ut nec consuetudo in contrarium valeat. Ita Decianus. Sed quicquid olim fuerit, leges omnes duellorum, consuetudo, & permissio quælibet per Ecclesiam hodie sublata est, & omnibus simpliciter interdictum est duellum sub pœna excommunicationis, Barbosa in c. Cura de iniur. & dam. dato. Conc. Trid. sess. 25. c. 19. Zerola part. 1. V. Duellum. Tholos. l. 48. c. 16. Gail. l. 2. obs. 100. Torreblanca l. 1. c. 23.

Quarta differentia. Invasus ab alio secundum leges non tenetur fugere, nec censetur delictum committere, si aggressorem occidat: ac iure Canonico tenetur fugere, & si non fugiat, sed occidat invasorem etiam pro defensione honoris sui, homicida dicitur, & homicidii pœna plectitur, ut Innoc. in Clem. Vn. de homic. statuit. Ita Decianus non sine ignorantia novo. Nam quoad reatum culpæ inter saecularem & clericum nulla differentia est, si aggressorem occiderit. Equidem pro vitæ defensione Clem. citata ab irregularitate absolvit clericum: in aliis v. g. pro defensione honoris, aut bonorum temporalium licet irregularitatem incurrat clericus, non tamen reus culpæ fit, quia irregularitas ex defectu lenitatis aliquando & actu non prohibito oritur. Caiet. in Sum. Avila de Censuris part. 7. disp. 6. Less. c. 9. dub. 11. num. 72. Navarr. Consil. de homic. & in Man. c. 27. n. 209. & seq.

Quod verò Decianus pro causa adfert,

saecularem si fugiat, honoris, & estimationis suæ damnam passurum, adeoque excusari, clericum verò non excusari, parum animadvertit, multos in clero viros nobiles, & illustres esse, quorum maximè inter sit illæsum dignitatis suæ statum conservare, eaquæ propter iisdem mediis uti posse.

Quinta differentia. Ius Canonicum nunquam permittit, quod iure divino prohibitum est: Iure Civili autem permittuntur quædam iuri divino contraria, cuiusmodi est concubinatus. ff. & C. de concub. & 6. ult. inst. de Nuptiis. Mirum est, si Decianus ignoravit Romæ lupanaria permitti, nisi sufficere putet, quod in nullo Canone expressum sit: quo dato ad consuetudinem quid dicit, quæ & ipsa lex est. c. Cum tanto. 11. de consuet. Covarr. in 4. Decretal. part. 1. c. 4. Ecclesia, ait, & totius orbis Catholici principes lupanaria permittunt, non quod illud peccatum approbent, sed ut adulteria, incestus, atque alia luxuriæ peccata compescant. Adde quamvis iure Civili antiquo concubinæ permittantur, iure novo non permittuntur, sed prohibentur. Alexand. Consil. 59. Tuschus concl. 566. Verba Novellæ Leonis 91. sunt. Lex illa (de concubinis permittis) in aeternum silet. Vbi nunc differentia supra dicta inter ius Can. & Civile.

Sexta differentia. Peritius, cui à parte delatum est iuramentum iudiciale, iure Civili non punitur. l. 2. C. de reb. cred. secundum omnes. At iure Canonico punitur. Sic Decianus, qui tamen l. 6. c. 13. legis à se citatæ sex diversas interpretationes adfert, postremò citando, Menochium, quæ Casu 319. plures auctores referendo tradit, intelligendum de eo, qui calore quæ-

dam iracundiæ iuravit sive contra principem, sive contra Deum: hunc ait, juxta citatam legem non puniri à iure civili pœna ordinaria, sed extraordinaria. Falsum igitur est, periurium à iure civili non puniri, sed tantum à iure Canonico. *Bart. in l. Si quis maior. C. de transact. Gaill. l. 2. ob serv. 59.*

Septima differentia. Ius Canonicum magis sequitur ius naturale, quàm ius Civile. Nam 1. iure Civili servus punitur, qui suam vitam domini vitæ præfert. *ff. ad Syllan.* At iure Canonico non peccat, nec punitur. 2. iure Civili mulier viduæ nubens intra annum luctus efficitur infamis. *l. 1. & Auth. isdem pœnis. C. de secund. nuptiis.* Iure Canonico non fit infamis. *c. Super illa. de secund. nupt.* 3. iure Civili actio iniuriarum non transit ad hæredes, neque contra hæredes. *l. Si eum. ff. Si quis cautionib.* De iure Canonico autem transit, *c. in literis de raptorib.* 4. Iure Civili non licet transire per agrum alterius, & comedere fructus. *l. per agrum c. de servit. & aqua.* iure Canonico autem conceditur illud pro usu necessitatis. *c. 1. dist. 1.* 5. Iure Civili hæres non tenetur ex delicto defuncti, nisi post litem contestatam. *l. 1. C. Ex delictis defunctor.* tamen de iure Canonico tenetur etiam ante litem contestatam. *Ostiens. in tit. de testam. § Tenetur autem heres. c. Cum dilectus. de ord. cognition.* Denique furtum iure Canonico dicitur omnis contrectatio rei alienæ. *s. Dixit Dominus 14. q. 5.* Non sic de iure civili, quia definitur *l. 1. de furtis.* Contrectatio dolosa lucri faciendæ causa.

Octavo differentia. Iure Canonico non tantum prohibentur actus in se illiciti, sed

etiam, qui occasionem alicui delicto præbent quod ius civile non facit. Nam 1. ius causa cõvivi non prohibetur. *l. quod in convivio. ff. de aleatorib.* Iure Canonico autem prohibetur. *c. Inter dilectos. de excess. pralator.* 2. iure civili nemo tenetur obviare delicti, nisi sit suspectus potestati, ut filius, servus, Vassallus. *Bart. in l. Vtrum deparric.* At iure Canonico quilibet etiam extraneus tenetur obviare delicto *Gloss. in c. 1. de off. deleg. c. dilecto. de sent. excom. in 6. 23. q. 3. per tot.* 3. iure civili certa quædam delicta sunt, quorum accusatio cuilibet permittitur, adeoque vocantur publica. At iure Canonico omnium delictorum absque ullo discrimine permittitur accusatio. *l. 1. ff. de publ. iud. Gloss. in c. Infames. V. fures 6. q. 1. 4. denique iure civili fors permittitur in multis casibus. l. cum pretor. l. cum ambo. ff. de iudic.* At iure Canonico simpliciter in omni casu prohibetur. *c. ult. de sortileg.* Contrarium *Suarez docet l. 2. de superfl. c. 12. n. 4. & infra Tit. 12. § 3.*

Nona differentia. Ius Canonicum magis animum punit, quàm ius civile. Nam iure Civili non dicitur fur, qui intravit per ostium animo furandi, si nihil turripuit. At iure Canonico nominatur fur, qui animo furandi ingressus est, etiam nullo damno dato. *c. Tres personas 23. quest. 4.* Item iure Canonico non punitur, qui rapuit sponsam, cum qua contractum esse, de præsentis matrimonium constat, quia non alienam, sed suam tollit: iure Civili autem punitur. *l. 1. C. de Virgin.* Denique cum plures unum aliquem vulnerarunt, & ipse ex unius tantum ictu occubuit, iure Canonico om-

nes homicidæ habentur. *Gloss. inc. ult. 23. quæst. ult.* Iure civili ille tantum, ex cuius vulnere mortuus est. *l. Si in rixa ff. ad l. Cornel.*

Decima differentia. Ius Canonicum rei veritatem spectat potius, quam ius civile in delictis, ut modò dictum est, de raptoe sponsæ. Cum enim videat eam matrimonio iunctam esse, huius facti veritatem sequitur. Similiter quamvis ius civile indistinctè puniat procurantem abortum: ius canonicum attendit, & distinguit, num fetus animatus fuerit, an non. *c. Sicut de homic.*

Vndecima differentia. Ius canonicum plures delictorum species reperit, quam in iure civili notæ sint, videlicet ratione subiecti, ratione ordinis vel officii, beneficii, honestatis vitæ, &c. quæ specialiter à *Deciano* enumerantur.

Ex his omnibus summam colligendo intelligimus ius canonicum à civili, quoad pœnæ inflictionem in tribus præceptis differre.

Primo, quod ius canonicum iuri naturali & divino fortius insistit, nec peccatum inultum facillè patitur.

Secundo, quod rei veritatem magis, quam externam speciem, & præsumptionem attendat.

Tertio, quod pœnis utitur mitioribus, ad animæ salutem magis & correctionem potius, quam ad afflictionem, dolorem, au cruciatum ordinatis. *Maranta part. 3. pag. 26. Lancelot. de compar. in. can. & Casar. Canis de differentiis utriusque Laym. l. 1. tr. 4. c. 8. Arnold. Corvinus in Praef. Aphorism. in Can.*

VII. Omnis pœna à iure civili vel canonico statuta hodie arbitraria est, eam-

que iudex augere, & minuere potest, si causa rationabilis suadeat. Hanc esse communem opinionem si agatur de iure communi, testatur *Iul. Clarus §. fin. q. 85. n. 10.* quin etiam si agatur de statuto, licet aliis qui contradicant, *Menochius* verò *l. 1. q. 94.* rem hanc accuratè explicat. Neque cum dicimus omnem pœnam arbitrariam esse, de quolibet et iudice accipi debet, sed eo tantum, cuius illimitata potestas est: idque in illis casibus, in quibus iusta, & conveniens causa movere iudicem potest, ut bene declarat *Navarr. in Rubr. de iudiciis num. 102.* Causæ autem multæ sunt à *Bartolo* collectæ in *l. Quid ergò. ff. de his, qui notan. infam.* puta, senectus, iuventus, furor, ebrietas, calor iustus iracundiæ excellentia in aliqua arte vel ingenio.

Aliqui cum *Reginaldo l. 25. num. 65. 7.* excipiunt crimina atrociora, cuius generis est homicidium ex insidiis commissum, latrocinia, & similia, ubi nullus iudex etiam parte consentiente relaxare pœnam queat, eò quod tali indulgentiæ reclamare Resp. censeatur.

VIII. Cum iudex Ecclesiasticus in omnibus circumspectus esse debeat, maxime cavebit, ne quando alia à canonicis decreta pœna est, pecuniariam imponat. Nam secundum canonum dispositionem, non verò cupiditatem suam iudicare debet. At cum certa pœna constituta non est, imponere licet etiam pecuniariam. *c. presbyteri. 2. hoc. tt. c. postulas Tit. de Iudais:* ita tamen, ut in pios usus convertatur *Conc. Trid. sess. 25. c. 3.* ne quidem officialibus loco mercedis tribuendo Pœnæ fore Ecclesiasticæ, aut Congregatio, piis locis sunt applicandæ:

nec valet consuetudo contraria, per quam pars pœnarum applicatur Vicario, vel Cameræ Episcopali, etiam in minima parte. *Piascius tamen part. 2. c. 4.* dicit, pœnam pecuniariam statuto impositam ab Episcopo retineri posse, quamvis honestius foret, in usus pios convertere. Nec sine causa Ecclesia quoque Fiscum habet, ut *Covarr. tradit. l. 2. Var. c. 9.* Quod verò pœnam in contractibus apponi solitam attinet, licet de iure exigi possit, de consuetudine tamen non exigi, nisi quatenus concurrat interesse. *arg. in c. Suam iun. Glo. fin. de pœnis. Tuschus, concl. 259.*

IX. Inter legalem & conventionalem pœnam hoc interest, quod illa strictioris interpretationis est. Nam si lege pœnali statutum sit, ut nisi certo temporis articulo aliquid peractum sit, pœna contrahatur, talis pœna non contrahitur, antequam tempus plene elapsum sit. At verò pœna conventionalis tunc contrahitur, cum tantum temporis effluxit per culpabilem moram, ut in eo, quod superest, certum sit perfici non posse. *l. cum stipulatus. l. in illa stipulatione.* Vbi *Gloss.* monet, quamvis ante elapsum terminum pœna contracta sit, exigi tamen non posse, donec dies advenerit. *Bart. l. Stipulatus. Sanch. l. 4. Moral. c. 22. n. 25.*

Notat præterea *Navarr. c. 23. n. 67.* conventionalem pœnam solvere neminem teneri in conscientia, nisi exigatur, excepta illa, quæ in satisfactionem parti debetur. *V. Less. c. 20. dub. 15. & qua diximus in part. 2. tit. 7. s. 2. d. 8.*

Idem de Voto pœnali iudicium esto Obligati te votendo, nisi intra biduum adificationem templi perfecero, monasterium ingrediar, sed videns postea propter

moram culpabilem non futurum, & pro rogationem temporis impetras, non propterea liber es à pœna adiecta, nisi specialis in petendo dispensationem facta mentio sit. *Sanch. l. 4. Mor. c. 22.*

X. Quando certa pœna alicui delicto legibus constituta est, non sufficit, commississe delictum, sed insuper necessaria est sententia declaratoria: quin etiam, si pœna in mera passione consistit, ministrorum exequentium impetus expectari potest. Nam ratio & æquitas non patitur, ut reus ante cognitionem causæ, & condemnationem puniatur. *c. Susceptis. de causa possess. & proprietatis.* Hinc Ecclesiæ praxis est, ut hæreticus, licet bonorum suorum dominio à iure privetur, cedere tamen illis non teneatur, sed possidere & retinere queat, usque dum condemnetur, hoc est, declaratur verè pertinax esse. *Bern. Diaz. c. 115. Innoc. in c. Cum in nostris. de concess. prob.*

Idem de beneficiariis dicendum, qui etiam, cum Canones dicunt, ipso facto vacare beneficia, non tenentur tamen dimittere, donec sententia lata fuerit, sed declaratum, ex delicto reos esse. *Soto l. 1. q. 6. art. 6. Azor. 1. l. 5. c. 8. q. 4. Navar. c. 23. n. 66. Piasc. part. 2. c. 4. nu. 96. Anton. Peregrin. l. 4. de iure Fisci et. s. n. 8. Fill. tract. 21. c. 11. n. 423. Salas tr. 14. disp. 15. sect. 3.*

Quod verò spirituales pœnas attinet, cuiusmodi est excommunicatio, suspensio interdictum, & similes, absque morâ ligant. *V. Prolegom. § 8. n. 5.*

XI. In pœnalibus regulariter non fit extensio de casu in casum, nec de similibus ad similia. *v. grat.* Non valet consequentia. Furtum laqueo punitur, quæ per illud damnus inferitur bonis temporalibus.

talibus. Ergo detractio quoque quia bono nomine, & fama privat. Neque ista crimen læsæ Maiestatis humanæ puni- tur morte, & confiscatio bonorum. Ergo etiam crimen læsæ maiestatis divinæ. *c. Odia. dereg. iur. in 6. l. Cum quidam. ff. de lib. & posthum. Salas disp. 21. sect. 5. Suar l. 6. de leg. c. 3. n. 9. Everh. in loco. A minor. nu. 4. Barbof. axioma. 181. Navarr. c. 22. n. 74. V. Prolegom. §. 7. n. 3.*

Ob eandem causam poena apposita contractui non extenditur ad quasi- contractum, nec vice versa. *Abb. in c. Qua fronte de appellation. Barbof. in c. Decretum. Ne Clerici, vel Monachi. in 6.* Item poena decreta alicui, & posteris ipsius usque ad certam generationem, non afficit illos, qui sunt in linea fœminina. *Vivianus in Ration. l. 5. pag. 245. Alagona in Compendio pag. 740. Barbof. in r. Vbicunque de poenis. Idem in aliis penè innumeris apparet. Roder. tamen 10. r. q. 67. art. 2. contrariæ opi- nioni insistens duplicem extensionem ad casus similes non parificatos ponit: unam quæ fiat ad poenam ut ordinariam in lege omiffam; alteram quæ fiat ad poenam legalein, ut arbitrariam: hanc licitam esse, illam verò illicitam. Ratio, quia poena legalis ordinaria legis auctoritate nititur, & quam talis, astringit iudicem, ut non alter, quàm secundum ipsam iudicet, atque ita tollitur extensio. Hoc autem in arbitraria poena locum non habet. Verum meminisse poterat Rodericus ea, quæ arbitria sunt, in litera & mente legis non contineri; adeoque ad poenam arbitri- riam non extendi, nisi admodum improprie loqui velimus.*

XII. Idem delicti, & supplicii locus esse potest, & solet, neglecto originis, &

domicilii foro. *l. 1. C. Vbi de crim. agi oportet.* Quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coercentur, ubi commissæ, vel inchoatae sunt, vel ubi repertiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere, satis notum est. *Bartol. in l. 3. ff. de off. presid. Vbi circa fin. Paulus l. C. pulchrè.* In mandatis Principum est, ut curet is, qui provinciam præest, malis homini us provinciam purgare: nec distinguuntur, unde sint. *Paul. in Castr. in di l. 1. Gall. l. 1. obs. 56. n. 8. & l. 2. obs. 36. n. 14. Hartman. pract. observ. 50. obs. 6. Covarr. pract. qq. c. 11. n. 3.* Nec una huius rei causa adducitur. *Primo*, reip, interest plurimum, scelera in eo loco, ubi patrata sunt puniri publicè, ut à similibus absterreantur poenarum acerbitate territi. *l. Capitalium. §. famosos. ff. de poen. Clem. 1. de off. ordinari. c. quapropter. 2. q. 2. c. Cum dilectus. de calum. Secundo*, resp. in cuius territorio crimen committitur, speciali iniuria afficitur, subditi perturbantur, & scandalizantur. Equum propterea est, ut ab iisdem debita poena plectatur, innocentia inter improbos ruta reddatur. *l. 3. & l. congruit. ff. de offic. presidis.* *Tertio* ex perfecta cognitione delicti poenarum mensura dependet: illam verò in loco perpetracionis multò facilius, quàm alibi iudicem habiturum esse liquet. *Quarto* denique, si alibi, puta, in loco originis aut domicilii instituenda quæstio esset, pars læsa cum ingenti labore & impensa longum iter suscipere, & domesticarum rerum curam negligere cogere: quibus malis territi subinde mallent iniuriam sibi factam non prosequi, quàm aliis incommodis augere. *V. supra Tit. 2. §. 3. dub. 2.*

Hinc sequitur 1. in foro conscientie & longè

cc 33 longè

longè diversum modum procedendi esse, nec quemquam illi Sacerdoti, aut Curioni, quoad pœnam peccati, & absolutionis subici, in cuius parœcia deliquit. Prædictæ rationes enim non nisi in externo, & civili foro locum habent. *Covarr. loc. cit.*

2. Deprehensum reum in loco originis aut domicili ad locum delicti remittendum esse, quæ est *Regula Socini 338. ex Auth. Ut nulli. l. 1. §. Si vero quis.* sed exceptiones plures admittit apud eundem, quarum potissima, quòd hodie consuetudo contraria invaluit, ut ibi reus pœnam subire cogatur, ubi deprehensus est. *c. Si peccaverit 2. q. 1. Licet ratione de foro compet. Farinac. l. 1. tit. 1. q. 7. Limit. 11. Item q. 2. §. ex prædictis.* nec tenetur iudex loci non subordinatus alteri in eadem provincia ubi captus est reus, ad locum delicti remittere, nisi ex honestate quadam, & benevolentia, quam rogatus ab adversa parte, & iudice illius proprio impendet, uti Germaniæ nostræ mos est, cum protestatione, nullum ex tali actu præiudicium fore: quod etiam agnoscere, & scripto testari debent, quibus id obsequii præstatur. *V. Constitut. Imper. Anni 1559. Gaill. l. 1. de pace publ. c. 16. n. 30. & seq. Covarr. loc. cit. n. 5. Jul. Clar. l. 5. §. fin. q. 38. n. 19. & seq. Besold. part. 3. publ. quest. Conf. 131. Hartman. pract. observ. tit. 50. observ. 6. Fulv. Facian. consil. 46. Francis. Marcum part. 1. decis. 401. Melanion in Thesaur. iur. feud. Tit. 49. n. 2. & 3.*

Romæ deprehensos, qui extra illam quaecunque crimen perpetrarunt, ut in communi patria pœna non quidem ordinaria, sed arbitraria puniri, post alios testis est *Farinacius l. 1. tit. 1. quest. 7. §. Et ex his §. 2.*

§. 2.

Satisfit dubiis de pœna.

DVb. r. An, & quomodo affectus, & conatus ad peccandum puniatur?

Affectus & mera voluntas peccandi quamdiu later, nulla pœna plectitur, quia de occultis ne ius Curia, neque Ecclesia iudicat. 1. Cogitationis. *ff. de pœnis.* Actus conatus externus, etiam non secuto effectu punitur in multis casibus, perinde ac consummatum opus, quando nimirum non stat per conantem, quòd nimirum effectus sequatur. *Gigas de crim. les. majest. q. 66. 1. est crimen raptus. 1. Si quis non dicam rapere c. de Episc. & clericis.*

2. Læsa maiestatis, præsertim ex primo cap. *legis Julia:* ubi eadem severitate iura affectum cum effectu puniri volunt. *c. Quisquis. de pœnis. dist. 1. Clem. Pastoralis, de re iudic.*

3. Parricidii. Nam filius parricidii reus censetur, quando venenum emittit, ut patri daret, licet effectus non sequatur. *l. 1. ff. ad leg. Pomp. de parric.*

4. Assassinationis. Condemnatur enim tanquam sicarius, qui mandavit alicui per insidias alteri mortem inferre, quamvis postea mandatum revocet. *c. Pro humani §. fin. de homic.*

5. Infanticidii. Nam infantem qui occidere voluit, obnoxius capitali pœnæ est licet opere ipso non perfecerit. *c. Si quis de pœnis. dist. 1.*

6. Sodomii, ubi voluntas & conatus actui proximus sufficit, ut scelus ipsum consummasse putetur. Aliqui tamen con-

-trarium